

2000-12-01 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Gaudium Geminum’**IOANNES PAULUS PP. II**

***EPISTULA DATA
IACOBO S.R.E. CARDINALI BIFFI
ARCHIEPISCOPO BONONIENSI***

*Venerabili Fratri Nostro
Iacobo S.R.E. Cardinali Biffi
Archiepiscopo Bononiensi*

Gaudium geminum, duplicum honorem, proximi hi faustissimi menses tibi ipsi, Venerabilis Frater Noster, permagno ex Divini Pastoris beneficio, at tuis pariter pro claris meritis, adferent, nempe binas propter longinqui fructuosique plane ministerii tui recordationes, quas cum decet, tum etiam Matrem Ecclesiam magnopere iuvat propalam praedicare harumque Litterarum Nostrarum voce digne concelebrare.

Cum duobus item lectissimis Domini Iesu gregibus hanc Nostram laetationem communicare Nos scimus atque fervidam gratulationem: Mediolanensi videlicet cui tu presbyter atque Episcopus auxiliaris triginta quattuor annos continuos fideliter erudite utiliter deservieras, necnon Bononiensi quem sedecim hos dein superiores annos secundum ingenium tuum studiumque pastorale firmiter Christi nomine gubernas.

Felicissime enim hoc tempore agitur simul de quinquagesimo sacerdotii tui natali, mensis Decembris vicesimo tertio die, simul de principio episcopatus tui accepti ante viginti quinque annos, Ianuarii mensis die undecimo; quod utrumque iubilaeum honorificum quasi coronam et cumulum addet illis omnibus apostolatus tui monumentis quae commemoratas apud ecclesias laudabiliter adhuc reliquisti. Mediolani namque, tuum inter nativum populum, magistri in Seminariis operibus eminuisti deindeque parochi actuosa navitate quam in adiutoris Episcopi statione nihilo minus studiose amplificavisti.

Ex Bononiensi autem praestantissima cathedra eas virtutes in re liturgica et sacramentali, in laicorum ac Studiorum Universitatis cura provehenda, in sacerdotum tecum fraternitate coniunctione firmando exhibuisti quae congruere omnino videntur cum beati Pauli monitionibus discipulo Timotheo datis: "Praedica verbum, insta opportune importune, argue, increpa, obsecra, in omni patientia et doctrina" (2 Tim 4,2). His enim consiliis tuis universis copiosam tibi, Venerabilis Frater Noster, laudationem conciliavisti atque fidelium simul peculiarem aestimationem.

Pluribus igitur de iustissimis causis gratulamus tibi geminatam hanc tuam anniversariam memoriam tibique eodem tempore praesens Dei omnipotentis robur et lumen et solacium aequabiliter precamur, unde posteros in annos tam laudabiliter valeas muneribus tuis incepisque praestare quam priora haec per decem lustra in vinea Domini usque praestitisti, opitulante tibi semper atque cuncto Bononiensi ovili Apostolica Nostra Benedictione amantissime profecto hisce cum Litteris transmissa.

Ex Aedibus Vaticanis, die I Decembris, anno MM, Pontificatus Nostri tertio et vicesimo.

IOANNES PAULUS PP. II